PLATONICVS

CONVIVA

Contra Vulgares Amantes.

D. HIERONYMVS BENDANDVS

MONACHVS CASINENSIS

Sacræ Theol. in Archigymnaſio Bononienſi Profeſſor

DECLAMABAT.

V. D. Polycarpus Paganellus Pœnit. pro Eminentiſs. & Reuerendiſs D. Card. Archiepiſc.

Imprimatur. Fr. Hieronymus Onuphrius Conſultor S. Officij pro Reuerendiſs. P. Inquiſit. Bonon.

EXCELLENTISSIMIS DD.
DD.

IOANNI VLADISLAO
ET
MICHAELI CAROLO
RADZIVVILLIS

Ducibus in Olika, & Nieſuuiez, S. Rom. Imp. Principibus.

D. Hieronymus Bendandus F.

VMBRATILEM hanc quam inter priuatos Academiæ parietes ſemel audiſtis exercitationem (Principes omni nobilitatis genere Excellentiſſimi) in publicos ſæpius inſiſtis oculos peruulgari. Dum cauſabar ego debilem illius conatũ, reſpondiſtis, eſto, non aliter tamen cum delumbi Vulgarium Amatorum turba præliandum eſt, quàm exili conatu.

Addebam, extemporale, immaturumq; opuſculum nullo temporis ſpatio; ſed ſublatis furtim à grauiori ſtudio momentis conceptum, indignum eſſe, quod ad publicam lucem emitteretur. Occurriſtis, abortiua quoque ſua deformitate plerumq; intuentium oblectare proſpectus. Plus forſan æquo me obluctantem diu conuiciſtis tandem. In hac neceſſitate hoc ſolum mihi dabatur arbitrij, pro hac Contentione eligendi Tutores, vt contrariorum Amantium vel inſequentibus perſtaret incurſibus. Quoniam autem nuſquam tutiorem me nacturum fidebam ſecuritatem, quam apud Virtutum Amaſios (Vincitur nempè turpis Amor ſolum Amore Virtutis) idcircò veſtram nunc vnicè patrocinium efflagito, qui præ alijs, præ omnibus incaleſcitis Virtutum æſtu. Quis meum hanc exprobret fidem? Stupeat quiſque flagrantiſſimam veſtram virtutis Charitatem. Quid, rogo, à Patrio Lituaniæ Cœlo vos in tàm diſſitas locorum aſportauit oras? Virtutis Amor. Vt Vos Regijs aſſueti lautitijs, tot ærumnalia itinerum, inhoſpitumq; Regionum nihil duxeritis incommoda, cuius eſt gloria? Virtutis, quæ ſola cogitat ardua, & capeſſit. Florentiſſima ſanè Poloni Regni deſeruiſtis Athenæa, perinde ac vnius Regni vobis non ſufficerent Virtutes, ſufficeretis autem vos totius Orbis Virtutibus. Induſtrias imitati apes floridiora Europæ Muſæa peruolatis omnigenæ Virtutis ſuccum exugentes. Terrarum peragratis orbem, ne vlla vobis ſit peregrina Virtus. Profectò cùm ad natiuum redibitis regnum, æquales veſtri (ſi qui ſint ibi vobis æquales) vos non reuiſent Conciues ſuos, ſed potius totius literati orbis Ciues; ſubditi

veſtri

veſtri aquè vos omnium Virtutum Principes, ac ſuos Principes reuerebuntur. Si Nicolaus Radziuuilus Dux in Bierze, & Dobingij, Vniuerſorum Acclamatione Alter Cicero, Hectorq; Lituaniæ eſt dictus; Si Nicolaus Chriſtophorus Dux in Olika, & Nieſuuiez alius Scipio, eiuſq; Frater Georgius Romani Senatus purpuratus Pater, Poloniæ Mæcenas ſunt nuncupati; Si ſexcenti alij ex Radziuuilorum genere laudantur, quòd Antiquorũ quorumuis Heroum virtutem adæquarunt: Quid proferet de vobis æternitas, in quos Maiorum veſtrorum longiùs iam æuo prouectæ Virtutes certatim decurrerunt, vt in ſua antiquitate nunc repubeſcentes multum decoris, ac gratiæ mutuarentur in floridiori Iuuenta? In his ſiquidem teneris annis, multa annis maiora auſi eſtis, eademque feliciter adepti. Virtutibus hercle grauiorem præcurriſtis virilitatem, & dum adhuc adoletis, iam maturarunt in vobis Virtutes omnes, adeò vt adoleſcentiæ nihil habeatis præter ætatem. Diſcant propterea à vobis, quid ſit amandum, Vulgares Amantes. Ego enim non tam reclamaui illorum amentiæ, vt illam corrigerem, quam, vt veſtrum hìc exponendo Nomen, proponerem Principes, quos imitarentur.

Valete.

Ex Alex. Guagn.

IERONYMVS BENDANDIVS.

Anagramma.

NVDVS AMOR. BENE INDVIS.

Induis (ò factum BENE) tu virtutis amictu,
Ne ſua dein doleat turpia NVDVS AMOR.

Adm. R. D. Dominici Valeriani.

PLATONICVS CONVIVA DECLAMATIO

Contra vulgares Amantes.

PROPE' adeſt, vt dicam me Platonico intereſſe conuiuo; quippè quot diſcumbentes video, tot amantes reuiſo. Aequè dicam ipſe (Generoſi Iuuenes) vos omnes amare, atque Scenicus ille Momus præſagiuit auditores ſuos velle beatos eſſe. Ecquem enim veſtrum blandiſſimo quodam delinimēto non titillat amor? Ignauiſſimi ſolum, quos alicuius boni charitas non inflammet. Cum itaque ametis, nullius ab ore, quam narrantis amorem penderetis attentius: ſi gratum ſit animo audire, quod placet. Ediſſeram ergo de amore vobiſcum, non quidem obuoluto capite in Socratis morem, cum honeſtiſſima ſolum contexturus adſim.

Ariſtophanes ex Platonis conuiuantibus vnus, in oculos, & ora vulgi viſus eſt emittere, vulgarem pulchri corporis Venerem eſſe primum naturæ bonum, in quod veluti in finem effræni pondere propendeant homines; à Venere procreari Cupidinem, qui inuicto quodam dominatu mortalibus moderetur. Laxa quidem, prodiga nimis, ac tam abiecto ge-

generi iniqua conceſſio: iudicium explodentibus ſolum pedibus excipiendum. Atqui ne demiremini, quòd, vel ſapientiſſimi plerumq; inter conuiuia immodicè Cupidini conceſſerunt, & Veneri. Fauete idcircò benignè (virtutum Amaſij) & dum ego Ariſtophani refragaturus, ab immerita vulgi Venere, Amoreq; collatum redimo decus, & laudes, ſi quis fortè ex vobis in illorum deditionem ſit receptus, rebellium meditetur. Operoſum me capeſſere facinus contra tot amatores præſentiſco: illorum namque exercitum, cuiuis inexpugnabilem valori aſſeruit Plato. At cuius ſuſtineo partes dabit veritas vires, quæ inter ardua quæque, vel preſſa, nunquam tamen aſſueuit ſuccumbere.

In Conuiuio.

Sed ecce ingruens cum Ariſtophane amantium accurrit turba ſui Cupidinis patrocinatura cauſæ. Ex hoc plebeio tumultu omnes, vt proprij ducis ditionem oſtentent, iactentq; triumphos, proferunt ſe ſe deuicta, vti trophea, manibus à tergo reuinctis, illius præire ad Capitolium quadrigam: illud conclamantes poeticum; Omnia vincit Amor. Obijciunt alij, quod Theodota celebratæ laſciuiæ ſcortum Socrati exprobrauit, ſtudioſiores Academiæ iuuenes in vno oculorum ſuorum obtutu pellectos, virtutibus exinde poſt habitis, Cupidine fortiùs ſollicitatos, in ſui traxiſſe charitatem; Socratem verò à proſtibulo neminem reuocaſſe ad Gymnaſium. Tantopere (inquiunt) Venerijs illaqueati compedibus, pedes laborant exerere: adeòq; ſemel admiſſus pulchritudinis amor ſuos demulcet captiuos. Ex hoc vulgo innumeri quoque, qui dum in venuſti corporis proſpectum veniunt, in alium terrarum orbem ſe delatos dicunt; atq; in deliquium acti, omni exarmati virilitate ſe dedunt victos, & ſi pulchritudinem adorari li-

ceret, exhiberent ſe religioſos. Eò vſq; molliter teneреſcunt cæteri, vt Cupidinem pro Deitate ducant, tumque ſe beatos reantur, cùm libidini indulgentes, ſuis perfruiſcantur delicijs; vos verò virtutum cultores, quaſi Atheiſtas peroſi deteſtentur. Nugales has teneritudines, vulgaris Veneris, plebeiq; Amoris actor in illorum iactitat gloriam. Haſce paſſim diſpergunt ineptias voluptuoſi. Heu quò ruunt mortalium mentes! Erotem (ſiue mauultis dicere veſanam cupiditatē) quæ eſt lapſus à vero Amore, naturæ lapſæ coruptela, fœdiſſimus animi morbus, non erubeſcunt fœlicitatis titulo commendare. Proh dementiam! Inſanum molliſſimi animi impetum, qui eſt vitæ diſcrimen, malum ſpontaneum, omnium calamitas bonorum, conſecrant diuinitatis nomenclatura. Proh ſacrilegum libidinis inuentum, quæ vitio Idolatra vouens, confingit ſibi amorem Deum! Non eſt Deus amor, at cunctorum noxia cura, vt piè Phocillides; Hos Amantes quidni dicas amentes? quidni furentos? obliquantes nempè à recto conſilio in propriam coniurant perniciem rebelles, facientes ſibi Deum, quem citrà Deitatis iniuriā nequeunt adorare. Perinde quaſi ex Titanum proſapia Cœlo inimicantur iniurij, bellum Deo, niſi ferro, ferrociùs tamen amentia indicentes. At quemadmodum illi fabulantiū Gigantes inſanientes in Deum, à ſuo regno deturbare ſuperos auſi, intentatæ pugnæ noxam confoſſi ſpiculis cruore luerunt; ita verius de confidi huius Numinis reatu, libidinoſi dant meritas pœnas. In illorum .n. cor vſq; medium lethali mulcta animaduertit Cupido, vt æquè eo puniantur vltore, quo fautore delinquunt homines. Sed ſileant pauliſper, ſi quid pudoris habent aduerſarij, dum accuratiùs Cupidinis diſpungantur facinora. Quid primum ſuæ partis fiduciam

ia-

iactantes Venerei Amoris ſomniant triumphos? An puellus ille, cui adoleſcendi, nec virtus quidem vnquam ſuppetiuit, qui eblandita ſolum effeminatæ ſocietatis gaudet teneritudine, qui inter imbecillium, inertiumq; ignauiſſimas turmas ociatur, deportabit triumphos? Si ſola virtute victoriæ parantur, inurbanus amor, qui eſt puerilis animi infirmitas, quemnam deuincet? ſubigi nimirū conſueuit infirmitas, ac fractarum virium languore correpta flaceſcere. Amore (inquiunt) vincimur. Ne dicant ſe amore victos, qui vincit neminem, niſi volentem amare. Vincitur quiſque à ſe ipſo volente. Ne vincaris, ſufficit nolle; non enim niſi volens amabis. Si tamen ſe victos velint; ſint ſanè; at non plorabunt ſe ipſos infirmitate infirmiores? Non erubeſcent vinci, quando facili eſſent victuri conatu? Non ſuæ grauiter affectatæ ſuccenſebunt debilitati? Prouocanti in certamen Amori pugnaturus occurrat, qui ſe expugnari non patitur, in cuius congreſſu, vel leui obluctaturus nixu ſuccumbet nunquam, ceſſurus Agoni, ſemper vel ſine prælio triumphabitur. Dum nolumus, dum non cupimus, ſternitur Amor; ſternimur volenlentes, cupientes. Ergo nè propterea validis viribus præditum dictitabunt Cupidinem, qui oppugnat non repugnantes? Horum emendat errorem Philippus, qui Aleſandrū filium tùm fortis nomen negauit demeruiſſe, cùm ſuo ſubdidiſſet imperio Barbaros, qui nullo præeunte conflictu, vltrò conceſſerunt victoriam, hac vna opinione ſubacti, quod ſibi Hamonis aduerſus filium præliandum eſſet. Perindè ac non ſit victoria, quam non præceſſerit lucta. Amore (adijciunt) vinci dulce. O abſurdum, & per impudentiam elapſum verbū! O miſellam amatorum plebem, atq; abiectiſſimæ ſortis ſeruile genus! tunc victis tantùm

Apud Lucianum.

ſolet

ſolet eſſe ſolatio, aliquantoq; decore, ſi prȩſtantis aduerſarij cadant virtute. Hi tamen contemptiſſimæ tribus homunciones à puellulo geſtiunt, ignauiterq; ſuperari gloriantur; quos neq; pudet pulchræ famulſantes imagunculæ, infælicis mancipij exprimere humilitatem. Vinci dulce? Vinci, quo intolerabiliùs perpeſſu agnoſcit nihil, nihil iniurioſius euitat, amariùs nihil delibat humanitas, hæc humanitatis monſtra dulce dicunt. In toto huius mundi, rerumq; conſortio nihil reperietis (Auditores) quod enixè non tentet hoc vnum, vt cæteris præſit; hos ſolum naturæ abortus depræhenditis ſe ſubeſſe gaudentes. Merentur quidem certè totus ſapientum cȩtus iuſta percitus Nemeſi, omni probrorum genere euaginata lingua, hos lancinat Amatores. Quidni.n. eos veluti ſordiduli animi humunculos iurè vellicabunt; quòd ad ſummam pulchritudinem nati, in mendoſa putidiuſculi corporis ſpecie conquieſcunt? Cur inconſultæ leuitatis, leuiſq; inconſtātiæ merito cōuicio nōn carpent, ſi alati infantis innituntur volatibus? Quid non ratione magis, quàm captos oculis deſpicient, ſi in Cimmerijs tenebris cum Cœco pererrant? Negabit quis mendicos illos, impudentes, inuerecundos, qui Inopiȩ filij inhȩrent veſtigijs, cuius nec nuditatem incuſant? Inficias iturus es inglorios eſſe, ignauos, ignomines, qui dant infantiſſimo, manus? Sed deferueſcat ſapientiorum bilis, nec opprobrantes vlterius in contrarios conuiciorum ſpicula iaculentur, aculeatis .n. Cupidinis telis ſatis ſauciati ex illis multi queruntur. Detur interim locus magnificantibus pulchritudinis vires. Nō ita veſtræ grauitati (Auditores) diffido, atq; iuſtitiæ, vt timeam vos tantum virium pulchritudini conceſſuros, quantum eneruatum aduerſariorum vulgus eidem perindulget. Nāq; ſupremus omnium

illius

illius conatus eſt, ſi pariat amorem, cuius licet fęcunda ſemper, niſi contuenti placebit, nunquam tamen enitetur. Quid ergo valituram dicetis, quæ valet nihil niſi placeat alij? debilis virtus, immo aliena, quæ mutuatur aliunde. Si vultis experiri impotentiſſimam ſpeciem, declinate ab illa proſpectum: aut ſi proſpicitis, ne faueatis. Vultis videre in ſua venuſtate deformem formoſitatem in ſuo ſordeſcentem nitore? Fingamus illam iucunda attentione ſpectari, conſpectam pellicere videntem, pellicientem exoptare, ac ab exoptante teneri; dum tenebitur, probabit, ſe hęc omnia effeciſſe, vt maculetur, polluatur, cõtemeretur. Dicet pulchritudinis Aſſecla, ſe totum eximio perfundi delicio, dum elegantis formæ contemplatur Idolum, dum verò fruitur, vita viuere ad inuidiam vſque fælici. Maleſanum Amantis conſilium; Quid eſt, quod dicis, infælix amator? tantumne libidinoſis exæſtuas flãmis, tamq; illecebroſis ageris furijs, vt mente in tranſuerſum rapta, prolabaris in phrænesim, & dicas te fælicem? fælicem te, qui quocunq; te vertas in Amore innumeris, eiſdem ineuitabilibus percelleris ſupplicijs? Vix amare decernis, & pręſcios metus odiſſe cogeris. Non habes in tuis cogitationibus, vnde non timeas: in ſperatis cupiditatibus, vnde non dubites; non times, non dubitas, quin anxiùs acriori ſollicitudine vexeris. Fælix ergo, quem in pulchritudinis conſpectu deſiderium excruciat cum anxietate? Aut, qui obtinet, & eam cum ſacietate faſtidit? &, quod moleſtius eſt, qui poſt fructum continuata pœnitudine obtorquetur? Si dum concupito caremus, cum faſtidimus poſſeſſum, aut cum poſſediſſe dolemus bearemur, vltrò admitterem te fæliciſſimum; at tu idem ipſe quoq; confiterere neceſſum eſſet, communem ha-

bere

bere cum pecudibus fælicitatem, quibus vna tecum
communis eſt voluptas. Siccine igitur deſipis, vt
ſordibus monſtruoſo connubio aſſocies beatitatem?
ò profanum! Infelix, maleſuada voluptas; quæ à
decepto vix deguſtaris ſenſu, & interneccans virus
inſtillas conſilio; Ecce tibi illorum, quos inficis de-
liria. Adeò inſulſæ perſuaſionis laborant errore, vt
tunc ſe beatos putent, cum amant, cum turpiter de-
lectantur; quando ſanè non ſolũ impune, ſed etiam
cum maxima interfectoris gloria tolli poſſent: culpa
ſi quidem erroris humani tenetur, atque intolerabi-
liter reus; qui intemperanter amat. Inter multa,
hoc vnum miremini (Auditores) quod voluptuoſi
Amantes omni cruciatuum genere plexi, ſe beatos
euulgant. O ſtupidos! quòd vltra humanum mo-
rem; cui ſua videtur intoleranda calamitas, ipſis
ſuæ videntur miſeriæ fælices. O corruptum ſen-
ſum! Penſate, quæſo, paululum, ac ſolertius volup-
tuarium odoremini ſtatũ; nuſquam mehercle miſe-
riorem reperietis; nulliuſq; ſortem miſerabimini
magis. Ineruditam enim charitatem inſolubili ne-
ceſſitudinis nexu comitantur angores: Indecoræ
voluptati adhæreſcit fiditimus dolor. His omnibus
communis eſt, & promiſcuus ingreſſus, nunquam
ſiquidem amorem admittunt, quin indiuiduum
comitem amatorem: & in voluptatum incremen-
tis, patiuntur initia dolorum. Voluptas nempè, &
dolor ſucceſſiuo ferruminantur glutino, atq; Caſto-
ris, Polluciſq; ad inſtar diuiduam habentes vitam,
dum illa immaturè decumbit occidua, exoritur do-
lor diutiſſimè duraturus. Sic ſtabilis prouidentię diſ-
ponunt inuiolata iura, vt cum vetitis oblectaminibus
primores labios admoueamus ſtatim felle reſperſa
amareſcat guſtata delectatio. ò Amor, ò pulchritu-

do, ò voluptas, ò morbi, quem vos non facitis miſerum? Rogo, adeſt ne, qui voluptatem ſenſerit, & non præſenſerit, mœrorem? Cito de hoc tamquam conuictos teſtes aduerſarios meos, quoniam non eſt facile negare depræhenſo. Agite dum, cur vel in ipſa veſtræ fruitionis affluentia, ex imo pectore repetita ſæpius intermiſcetis ſuſpiria? quid (per fidem) portendunt hæc niſi aduentantis luctus præſagium? niſi in voluptatis fine inchoare mœſtitiam? ne ſimuletis miſeri veſtrum incendium, quod fumoſæ retegunt nebulæ ſuſpiriorum. Sunt hæc internuncij dolorum, diſcruciantis flammæ infauſta indicia, atque malè ominantes tubæ, à quibus obſeſſi cordis impreſſionem, quam facit dolor, inauguramus. Itaq; ſi in ipſa, quam anxiè cogitatis, ſtudioſè anhelatis fruitione, pulſamini acerbius; quid, cum ſuſpiratæ voluptatis fiducia deſtituimini? Dum amatum amoris veſtri defraudat mercedem? Quot expectoratis tunc gemitus? Quot turbatim laxatis eiulatus? Quot traducitis per inquietem inſomnes noctes? Quinã deniq; alij leguntur oratores, quam miſtæ ſingultibus lacrymæ, quæ plerumque orant inexorabile? Sed ſim ego indulgentior vobis; dem (quod nullo modo dari poteſt) pro votis omnia contingere vobis; & ponamus eſſe vt cupitis, compenſetur .ſ. amore amor veſter, propitietur cupiditati Cupido, & concedatur rogantibus voluptas. Quorſus hæc inde? Nec, dum omnia ex ſententia ſuccedent felicia, diducetis infælicitatem. Enimuerò, impetratæ ſubter labentur nè citò voluptates? Quonam igitur modo fælicitabunt? Non eſt ſine tenendi ſecuritate fælicitas. Diuturniores manebunt? tunc ſæpius deguſtatas tandem ſaturus nauſeabis, quòd ſoleant in fruentis vegetare faſtidium. Cum adoleuerit voluptas, tum fæ-

cunditatis potens, concepto dolore grauabitur, qui ab euiſcerata parentis aluo iniurius erumpet, & poſthumus. Iniurioſam voluptatis, & calamitoſam fęcunditatem! Reſpondes, à delectamentis perſępè exulare mœrores. Hem quid addis? Mens in oblita ſui, illicita ſemper expaueſcet delicia, quod ſcit malè eſſe extra legem viuentibus. At, exulent licet, eminuſq; arceantur curæ, & mens à ſe met degener in ſenſuum eat factionem; iucundi tamen quo perfruitur continuò iacturæ pauida atrocius diuexabitur. O quam ſępè vel cogitatem animum diſtorquet futura boni iactura; quam productior anteiuerit, lætiorq; poſſeſſio! quoties cum te amiſſurum quod poſſides reminiſceris, quoties, inquam, iniquè fatum incuſas, quod linquat ſub ſole æternũ nihil? Quoties cõtumeliosè reuerẽdas naturæ leges inculpas, quod non ſinant perennare diu; quod tu ſentis momentaneum? Quum verò inuidæ ſortis obnoxium raptui, iam ſubreptum bonum aduertis, amatum amiſſum, heu, heu dolores! Dilaceraris ad mortis vſque neceſſitatem. Mortis beneficium velut clementius ſuppliciter petis, oppeteres verò libentius. Moreris millies ſemper tibi ipſi ſuperſtes, vt nunquam mori deſiſtas; vt morti tuæ condolendo, mœrentes reddas exequias; vt miſerum tibi ſit vita ſupplicium. Tu, Tu ergo beatus, cui vix poteſt ſine morte ſuccurri? Qui niſi moriaris, mori ſemper periclitaris? qui non alioqui mœreris vitam, quàm vt tui criminis pœnam exoluas? Sed demus vlterius voluptates non tam velociter fruentibus diſperituras; effingamus ſanè æternas eſſe. Quid deinde iuuabit, miſerrime amans, etiam per innumeros ſæculorum decurſus, intra deformatum ſordibus corpus, animum quaſi intra ſordidiſſimum carcerem coercere? Ani-

num impoluto deſtinatũ gaudio, ſpurciſſimo com-
maculatæ carnis attactu perpetuò cõtemerare? Ani-
mum, inquam, immortalitate donatum corrumpẽ-
da ſemper traducere viuacitate? Diſcuras parum-
per (ſi tantum licet inſano) percurras quæcunq; tibi
met ipſe prodigè potes ſpondere, ſolatia, indulgere
delicias, componas animo, quas velles, à pulchritudi-
nis aſpectu captare blanditus, ab illius vſu (ne dicam,
abuſu) frui oblectamentis; tota tua vita etiam tùm
æuiterna, vnico tamen perſtringetur ſemper interſti-
tio diei. Hem quid diei? imo breuiuſculo momen-
ti curriculo; Tantis ergo ærumnis, ac precioſa cala-
mitate, tanti, inquam, leuiculam emercaris volupta-
tem? valde carè emis, penitere; Imo vendidas te ip-
ſum decoctor iam factus vili nimis, breui, horarioq;
delectationis pretio. Infæliciſſima profectò omnium
captura, ac ſeruitus, atq; vltra modum pœnale man-
cipij genus non modo corporis, ſed animi quoq; li-
bertatem deponere. Feralis nimis martyrij mos, con-
torqueri cruciatibus, quibus mors longè foret placi-
dior. Habetis adhuc (Plebeij Amatores) quibus nos
fatigetis obiectus? Obloquamini, eſt locus adhuc.
Conticetis? Deſunt amantibus verba? Exitiali conuin-
cimini plaga languere. In hoc ſolum vos laudo, ſi ta-
ceatis, quia grauiùs damnaret vos veſtra defenſio.
Silebo propterea & ipſe, atq; maiora, quæ vobis pa-
rauit Venereus Amor, præteribo immemorata ma-
la, veſtræ miſeritus pœnæ, ne ob oculos poſita dolo-
rem ingeminẽt. Satis afflictamini (licet citra meritũ)
ſi vulgariter amatis: Nec aliud imprecaretur vobis
Apollonius malum, ob veſtri amoris crimen, quam
vt diù amaretis. Hæc vobis perſoluit ſtipẽdia dux ve-
ſter Amor. Sic beat Idolatras ſuos confictũ Numen.

Bononiæ, Typis Clementis Ferronij 1638. Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.